SOLLEMNIBUS SACRIS
Nuptiarum
VIRI JUVENIS
Literatißimi, Politißimi

DNI. GREGORII Westphalen

Jurium Candidati.
ET

ANNÆ Hohenholtes.

Virginis Pudicissimæ, Sponsæ
lectissimæ.

benè precantur
Amici.

STETINI,
Literis GEORGII GOETSCHII.

WEstphale, palus eras viduus, vitis tua sponsa
Gaudebat tenerum flectere corpus humi.
Erigitur palus nunc, vitis dulcia ligna
Nectuntur vinclo quî sacra jura jubent.
O nunc, quam facta est conjunctio scitula bigæ!
O nexus dulces, quos fovet arctus amor!
Lilia sic spinas, & sic Libanotida Nardus,
Sic hedera arbustum cingit amore pari
Tu superûm Rector firmum stabilemq; perrennè
Hunc palum serva, servet ut ille datam.
Præbe humili vires ligno, succrescat in altum,
Educet & fructus stante virore probos.

Agnato & amico indubitato apposuit
Wolffgangus Lochman J. D. & Advocatus
Jllust. Dicast.

SPonsam sponsus habet, loquitur sacra pagina: Sponsi
Sed stat amicus ovans læticiâq; fremit.
Quidni ergo summos gaudI sub pectore motus
Sensero, dum sponsam noster amicus habet?
Scilicet adstabo lætus spectator & imo
Jubila depromam pectore, vota canam.
O Deus à cujus largâ bonitate resultat
Omne bonum, fac sit Conjugium hocce bonum.
Sponsus sponsulā amet, redamet quoq; sponsula sponsum;
Pax amor atq; fides pectora cara beent.

 Pluri-

Plurima sit junctis proles, sit vita per annos
Nestoris, inq; omnes sint bona fata dies.

Testificandi honoris & amoris causâ fecit.

M. Martinus Leuschnerus
Ducal. Pædag. Stet. Rector.

ALIUD.

QUid juvat innumeros populos adijsse, suisq;
Perpetuos studijs incubuisse dies?
Quid juvat hostiles turmas fudisse vel auri
Montibus ac alijs conspicuum esse bonis?
Ni sit cui credas hæc vitæ commoda, cuiq;
Fisus in ærumnis tutior esse queas.
Scilicet haud verè perfectum censeo, cui non
Est, Socij Conjunx quæ sit amata Tori.
Unus Homo non est Homo: si qua Marita Marito
Juncta est, hunc HOMINEM Biblia sacra vocant.
Exsint ergo Bonum qui Summũ quærere malunt
Extra conjugium, quod Bona cuncta tenet.
Quodq; est omnigenæ virtutis vivida Praxis,
Est Schola, quæ mores condocet esse probos.
Ergo Macte tuis conatibus optime sponse
Qui Summi consors incipis esse Boni.

Jam

Jam populos adeant alij: Studijsq; Bonisq;
Incumbant reliquis: Tu ecce videris Homo!
Ecce beatus Homo! Sed adhuc felicior, anno
Si volvente queas Filiolo esse Pater!
Quod tibi det Summũ cœlorũ Numen, ut adsint
Summo conjugij gaudia summa Bono.

Suo multis abhinc annis amico
honorando
M. Johannes Micrælius SubR. Pædag.

ALIUD.

SI quaquam in causa juveni *vigilare* necessum,
Certè agat hoc, vinclũ quando jugale petit.
Subveniunt etenim *vigilantibus* inclyta jura,
Horum facta vigent, fama decusq; viret.
Tu quoq;, GREGORI, multum *vigilando* subîsti
Musarum & Themidos templa sacrata quidem;
At postquam sociam vitæ tibi jungere certum,
Nunc demùm *vigilis* nomen & omen habes.
Te peregrina Venus satagens accersere blandis
Verbis, monstrabat nomen honoris, opes.
Sed *vigilanter* agens, spernebas talia; cum sint,
Virtuti nisi conjuncta, caduca, nihil.

Eligis

Eligis ergò tibi sponsam *vigilando* pudicam,
Quæ studiosa DEI, quæ studiosa TUI.
Sola, Sedinorum generis flos, ANNA, vetusti,
Et de *sublimi stemmate* nata, placet.
Hanc *vigilanter* ama, complectens, oscula dansq;
Multa; ardore pari talia reddet Ea.
Sic *Arbor* viridi *sublimis* fronde virebit,
Moxq; tibi ramos proferet usq; novos.
Vivite concordes animis, curisq; vacantes,
Ædibus à vestris sit procul atra lues.
Adversi vobis si turbida quid ferat hora,
Mutuus & constans auferat illud amor.
Hæc voti summa est, usu junctissimè longo
VVestphale, fac voto pondus inesse DEUS.

Amoris & honoris ergò mittebam VVolgastô

Philippus Brusæus, Jllustris Dicasterij ibidem
Advocatus & Procurator ordinarius.

ALIUD.

SPONSE, peritorum juris, decus, ordinis, ingens;
SPONSE, virûm juvenum flos optime, dulcis Amice;
Dum tibi, connubio stabili de more dicatam
Uxorem jungis; Nympham, quam gratia morum,
Quam genus, & proavi, quam dos, quam fervor honesti,
Quam

Quam facies, & quod spectari condecet unum,
Quam laudat Pietas, *animi ex sententiâ Amicam:*
Multa alij voveant multis tibi, multaq; Sponsæ:
Ast ego cum nequeam, ceu velles, hospes adesse,
Absens fatali vestro precor optimâ amori,
Copulæ & acclamo verbo, FELICITER, uno.

Honoris & amoris ergò misit
Christophorus Cadenus, Pastor VVusterhusanus.

ALIUD.

QUàm varias varijs quondam placuisse coronas
Legimus! at sponso, quæ datur, illa placet.
Civica laudetur, nec non laudetur ovalis:
Dignis illa dabant digna brabea viris.
Sed te sponse juvat sponsæ gestasse coronam,
Floribus eximijs quæ viret usq; suis,
Hanc meritò præfers alijs, licet arte paratis,
Artificem summum dum probat ipsa Deum;
Floribus hanc quoq; qui longè melioribus ornat:
Vividus hanc quoniam, marcidus ambit eas.
Floribus hisce tuam charis ex mente coronam
Exornet summus. Sint rata vota precor.

Ex Universitate Borussorum, Contubernali olim suo candido mittebat
Thomas Coch Lubec. LL. Candidatus.

ALIUD.

TEmpus adest, pictor quo præclarissimus orbis
Fragrantes herbas, & flores præbet amicos:
Flosculus hic cerebro jucundum præstat odorem,
Ille oculos pascit, levat alter vulnera facta.
Inter tot flores flos unus, floride SPONSE,
Iam-nunc obtingit tibi: Virgo nempe pudica,
Virgo sollicito cordi dans pharmaca certa,
Hæc te mulcebit blandæ dulcedine linguæ,
Hæc oculos pascet, cordis quoq; leniet æstus.
Gratulor ergo tibi Patriæ laus, Westphale, *magna,*
Atq; absens opto thalamo felicia vestro.

amoris ergò mittebat.
Christianus Cadenus Scholæ Patriæ
VVolgast: Cantor.

ALIUD.

Gregorius VVestphalus
Anna Hohenholdts
ἀναγραμμ:
aspirationibus omissis,
DEUS vultu largire annos, gnatos, opes.

O DEUS his Nuptis *vultu largire* benigno
annos, gnatos & sufficienter *opes.*

Martinus Frost, φιλίατρος.

Quem

ALIUD.

Quem non Socraticæ prohibent à conjuge nassæ,
Queis licet incluso vix revocare gradum.
Exosum faciant tædas, hæc ipsa, jugales,
Davidides sapiens quæ saturanda negat.
Scilicet Ignis edax, sitiens Humus, Uxor & Orcus
Conveniunt: veniunt cum muliere simul.
Quisquis enim uxorem sibi jungit, aduritur IGNE
Illius ut febris torret anhela virum.
Incidit in TERRAM, centrum quoq; tendit ad ipsum,
Undaq; humo ut bibitur, sic bibit illa virum.
Vix tamen expletur sitis hæc: soluendo quod haut sint,
Uxori, solido qui soluëre minus.
Quin & in uxorem recidens descendit in ORCUM;
Orcus & vcs-or enim versa putantur idem.
Et licet hic Orcus quovis ferventior esset
Igne, tamen quis non hîc cupit esse Satan?
Ire per exemplum licet, ut nunc WESTPHALUS orcum
Fœmineum aggreditur trippudiante gradu:
Dum parat uxorem thalamo sibi jungere, quæ sit
Unda refrigerij, flamma caloris ei:
Non dubitans; quia Rex Sapiens vel mille subegit
Vxores, se Uni posse probare virum.
Adstipulor facto; (relevant nil verba jocantis)
Conjuge nec quidquàm dulcius esse puto.
Socratis hinc ergo nassæ, Salomonq; facessant;
Conjugium pretio stetq; cadatq; suo?
Sed Tu perspecti, votum, cape pectoris arrham,
VVESTPHALE Legalis gemma sodalitij.
Tot tibi Conjugij veniant bona, quot vomit Ignis
Flammas, quot viridans gramina Terrâ fovet.

Omnigenos Themidos fructus tibi divite cornu
Fundat Amaltheæ semper amica manus.
Sic voveo: vellemq; tuum spectare Hymenæum;
Sed me nunc aliò Leucoris alma vocat.

Amico æstimando relinq.
JOACH. Hammermeister LL. Stud.

ALIUD.
EPITHALAMIUM.

Carmina, ne desint consveta tuo sociali
Sacro, quod peragis, Sponse, capesse tibi;
Quod dictat paucis molesta Polymnia metris;
Namq fluunt aliis liquidiore via.
Non fingam, Cytheræa Venus qui venerit istuc
Ad te, quæ civis creditur esse Cypri.
Nec te b'and tiis feriam, sponsamq pudicam;
Laude celebratâ splendet uterq sua.
Præses sit thalami melior concordia virtus:
Sit placidum duro conjugium absq jugo.
Praxis & in thalamo cedat quandoq forensi,
Et cum prole tibi collige divitias.
Sed sunt divitiæ prolesq creantis Jhovæ
Munera quæ nostrâ non veniunt operâ.
Ergò precare DEUM, vestris benedicat ut orsis,
Ex bonitate sua copia fausta beet.

Ex Acadæmia Leucorea transmittebat.
Jacobus Möllerus Sedin. Pom. SS. Theol. Stud.

Accipe

ALIUD.

ACcipe Gregori, *quam virtus, forma, genusq́,*
Annam *commendant, assotiæq́ tibi.*
Mens sit utriq́, eadem vestrum, nec non amor idem,
Vos socios sortis quælibet hora vocet.
Sit proles, quæ servetur Respublica casum
Peste minans, ætas vos diuturna beet.
Tum quod honor, quod opes his possunt addere majus,
Conjugibus precor hoc pectore & ore novis.

gratulationis ergò Ex Academia
Viadrina misit.

Gothofredus Giselbertus,
Stetin. Pom.

ALIUD.

QUid dilecte tuo tentas molimine sponse?
Quid censes, animoq; tuo versas agitasq;,
Quod jam conaris fœdus sociale subire?
Nonnè tuam mentē terrent hæc tempora mœsta?
Sed cerno, quòd jacta tui fiducia cordis
In Christū, ex quo cœpta tuæ sunt tempora vitæ.
Et Neonymphe facis rectè: sic perge beatè.
Incolumem te cœlipotens Rex servet ubiq;,
Propositū præsens firmet, benè cœpta secundet,
Vt

Vt per Nestoreos vitam traducere possis
Annos, cum sponsa chara, charos videasq;
Natos & natas animo florere vigenti.
Hocce meum votum sit: Suscipe corde libenti.

Andreas Helmichius Sed. Pom.

DIXI

